DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

ODONTALGIA,

Quam,

ARCHIATRO OPT. MAX. PRÆSIDE,

Jussu & AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ.

IN

INCLUTA NORIMBERGENSIUM UNIVERSITATE ALTDORFINA,

PRO LICENTIA,

Summos in MEDICINA HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA ritè impetrandi,

Publico PHILIATRORUM *Examini* *submittit*

CONRADUS CASPAR Ehinger/

Augustanus.

Ad d. 18. *Jun.* A. S. R. M DC LXXXIII.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typogr.

I. N. J.

Præloqvium.

QUod Dentes in tanta semper fuerint æstimatione, ut etiam Omnipotens rerum Creator Exod. 11. ℣. 27. *servum, cui Dominus dentes excussisset, manu mittendum præceperit, & veteres,* Erasistrato *referente, dentium nobilitatem declaraturi Odontagogon plumbeum in Apollinis templo suspenderint, ut eos posteri non evellerent, nisi carie correptos & summè mobiles plumbeoq; instrumento cessuros deprehenderint; ob insignem eorum usum, quem corpori nostro præstant, id factitatum esse neminem latere puto. In homine enim ut ornatum silentio jam prætereaem, tanta dentium est necessitas ad vocem articulatè exprimendam, quanta hujus ad animi sensa exponenda; videmus namq; quod illis destituti vel plane non, ut infantes, vel ad minimum vix distinctè & articulatè loquantur: hinc incisoriorum amissione lædi vocis explicationem* Galenus *quoq; cum experientia testatur. Majorem autem utilitatem ab altero & primario eorum officio, masticatione sc. in corpus redundare ex eo facile constat, quod hæc toti nutritionis & augmentationis operi inserviat. Cibi enim in ore à dentibus comminui & confringi debent, ut ritè fermentari & in laudabilem succum converti possint in ventriculo, unde qui integros vel semimansos deglutiunt cibos, eosdem indigestos per alvum vicissim ejiciunt, & nuclei fructuum, aliaq; semina duriora integra ventriculum & intestina*

pervadentia germinandi facultatem non amittunt. Huc reſpexiſſe videntur Hippocr. & Galenus *à dentium multitudine longævitatem, paucitate verò vitæ brevitatem prædicentes:* Et Arabes *quoq; tradunt, maſticationem qui negligunt, vitam ſuam odio habere. Quoniam autem non ſolùm injuriis externis, uſus neceſſitate ita exigente, ſunt expoſiti, ſed etiam plurimi & infeſtiſſimi dantur hoſtes interni, illis inſidias ſtruentes, proinde quò frequentior eorum uſus eſt, eò etiam crebriora obſervamus ſymptomata. Ut alia ſilentii velo jam involvamus,* dolorem dentium, *affectum animum & corpus ſimul affligentem, ſymptoma maximè frequens & vehemens, ut etiam teſte* Celſo *maximis tormentis annumerari poſſit, & quidam mortem impatientiâ ſibi conſciverint; Thematis Inauguralis loco, habitâ temporis ratione breviter impræſentiarum delineare & pertractare animus eſt. Quibus conatibus ut cœleſtis Archiater faveat, ardentibus ejus Clementiam ſollicitamus precibus.*

---

§. *I.*

RECepto itaq; mori ut locum quoq; in ipſa tractatione relinquamus, pauciſſima de nomine erunt præmittenda, hujus enim cognitione in ipſius rei perceptionem provehimur, ut ex *Platone & Ariſtotele Scaliger Exerc. 1. loquitur.* Ὀδονταλγία vox origine græca eſt, quæ componitur ἀπὸ τοῦ ὀδόντος tanquam parte affecta, & ἀλγέω ſeu ἄλγεος doleo & dolore, à Symptomate. Dantur enim teſte *Galen. 2. meth. m. cap. 1.* affectus, qui ab ipſa parte affecta v. gr. colica ab inteſtino colo affecto, & *2. meth. m. c. 2.* qui à parte affecta & ſymptomate ſimul nomen obtinent, qualis eſt Odontalgia, Latin. dolor dentium dicta, & quibusdam per jocum podagra dentium. Homonymicè etiam conſiderari poteſt, quatenus vel generaliter & latè, vel ſpecialiter ac ſtrictè accipitur. Priori modo omnem dolorem denotat, ſive in dentibus ipſis, ſive in maxillis ſive deniq; gingivis occurat, quo nomine

mine vel ſignificatione ipſam etiam dentitionem ſub ſe comprehendit: poſteriori vero illum ſolum, qui in cavitate dentium percipitur. De hoc ſtrictè ſcilicet accepto nunc agimus.

II. Hiſce ita prælibatis, hoc modo definiri poteſt. ***Dolor dentium eſt ſenſatio moleſta percepta in dentium cavitate, à membranæ cavitatem illam ſuccingentis, & fibrillarum nervearum hinc inde per poros in illorum ſubſtantiam diſtributarum, vehementi & forti commotione divulſione ac laceratione, Ωtuum animalium in illis partibus hoſpitantium naturalem motum & vibrationem alterante, eosq; in motus rapidiores & inordinatos cogente, proveniens, cum vel ſine aliis eorundem partiumq; circumjacentium ſymptomatibus.***

III. In data Definitione ante omnia conſiderandum venit genus, quod conſtituimus ſenſationem moleſtam, cùm enim teſte *Willis. de Anim. Brut. c. 10. de Senſu in genere*, Senſatio omnis peragatur, quatenus objectum Senſorio applicatum ſui Ideam ſive characterem Ωtibus ibidem conſitis & undulantibus imprimit, qui deinde ſerie ad cerebrum undequaq; continuata diſpoſiti, ejusdem impreſſionis typum, irradiationis modo, illius incolis deferunt, fit ut ibidem in ſenſorio communi ſenſionis perceptio formetur; jam vero ſi objectum illud ſenſorio incongruum & moleſtum fuerit, ita ut in ejus fibras Ωtus dictos continentes irruendo, eas ab invicem divellat, ſimulq; Ωtus ibidem hoſpitantes in varias ἀταξίας adigat, oritur ſenſatio moleſta, & quoniam tale quid in Odontalgia etiam obſervare licet, ubi nimirum objectum quoddam improportionatum dictam dentium membranam & fibras ſubit, rectiſſimè illam hujus genus conſtitui poſſe arbitror.

IV. De Subjecto adæquato jam ſollicitus, antequam illud determinem, de dentibus quædam prius præmittenda conſultum duxi, ut cognitâ eorum diſpoſitione naturali, eò melius deinde in illo conſtituendo procedere queamus. Sciendum ergo dentes eſſe oſſa ſui generis, in utero ex colliquamento ſpermatico generata & delineata. Hæc ſententia licet contraria videatur *Hippocrati*, qui *l. de carnib.* ita ſcribit: *Et primo quidem dentes à victu in utero, & poſtquam natus fuerit, puero lactenti à lacte: Ubi vero hi exciderint, à cibis & potibus.* Propugnatorem tamen habet *Bartholomæum Euſtachium*, Anatomicum oculatiſſi-

tiſſimum, in *Tract. de dentibus* demonſtrantem, omnes dentes in utero generationis rudimentum accipere, & ex eadem materia cum oſſibus generari, *αὐτοψία* hoc approbante: dentes enim in maxillis recens natorum apertis, non una tantum ſerie, partim mucoſi, partim vero oſſei in locellis diſpoſiti obveniunt; ſed etiã hi quando artificioſe ſeparantur, novus parvulorum dentiũ ordo ſeſe conſpiciendum præbet, qui folliculis incluſi, primis evulſis vel elapſis ſenſim aſſurgentes ſuccedunt. Annuit *Riolan. Enchirid. Anat.: Iſti dentes primi,* inquit, *dicuntur lactei, quibus ſubeſt alterum germen fructificaturum alium dentem, ſi primus evellatur vel ſponte exciderit.* Unde haud rarò in pueritia corroſis in adoleſcentia firmiores ſuccedere & ſuccreſcere ſolent, quemadmodum in equis das Brechen vocant.

V. Hanc in utero generationem confirmant etiam exempla, ob Scriptorum fide dignorum autoritatem minime in dubium vocanda. Obſervatum enim eſt, quòd quidam cum dentibus nati fuerint, ita Richardum II. Angliæ Regem omnibus dentibus inſtructum in lucem editum teſtatur *Joh. Roſſus Warvicenſis, M. Curius & Cn. Papyrius Viri Clariſſimi* cum dentibus nati ſunt; eam ob cauſam Curius dentatus cognominatus eſt. Referunt quoq; de Ludovic. XIV. Rege Gall. adhuc in vivis exiſtente, quod aliquot dentes à prima nativitate in ore habuerit. Talia autem exempla non ſupra naturam contingunt, uti veteres falſa hypotheſi de generatione dentium extra uterum inſtructi putârunt, ſed potius à fortiori cùm matris tùm fœtus in illius utero incluſi calore vitali, hujusq; in partibus perficiendis ſingulari robore dum proficiſcuntur, nihil prodigioſi mihi ſignificare videntur. Alias ordinarium natura curſum ſervante, ſeptimo utplurimum à nativitate menſe extra gingivas erumpere incipiunt, quamvis nec huic polydædala natura ita devincta ſit, ut non modo citius, ſed & tardius poſt anni demum curſum dentes ex maxillarum clauſtris emittere poſſit, uti eleganter dicit *Vir Nobiliſſ. Ampliſſ. Excellentiſſ. atq; Experientiſſ.* DN. JOH. MAURICIUS HOFFMANNUS *Phil. & Med. D. Chem. & Anatom. Prof. Publ. Celeberrimus, Præceptor ac Patronus meus per ætatem colendus, in Diſſert. Anat. Phyſ. 2. ad Joh. van Horn. Microcoſm. Annot. p. 41,* & primo quidem anteriores & inferiores, ob rationes

à Bar-

à Barthol. Anat. Ref. p.728. citatas sequentes: 1. Quia hi magis acuti sunt. 2. Quia minores reliquis. 3. Quia os ea parte est tenuius, dum sugendo attritionem patitur & attenuationem gingivæ caro maxillæ inferioris. 4. Quia horum major est necessitas, & ad vocis formationem, & ad ciborum divisionem. Pertinent huc verba Aristotel. l. 4. de generat. animal. *Secatur enim prius,* ait, *quam molitur, quod comeditur. Sunt autem illi (sc. posteriores molares dicti) molendi officio delegati; hi vero secandi: Tum etiam quod res minor, etsi simul incboatur, tamen celerius solet perfici, quam major. Minores autem primores sunt quam maxillares.*

VI. Dentes colore candidi sunt & nitidi, in senectute utplurimum nigrescentes. Substantia exterior solidior & durior, interior paulò mollior, in se cavitatem habens, ampliorem in puerulis, & ad septimum annum tenui squamâ, instar favorum apum circumseptam, mucoq; repletam; in adultis verò resiccato humore diminutam. Horum situm in homine operosè demonstrare non opus est, cum leviter etiam diductis labiis eleganti & simplici ordine in utriusq; maxillæ orâ claviculorum lyræ adinstar in conspectum prodeant, naturæ provida solertia superiores inferioribus ita commissi, ut commotis maxillis forcipis instar cibum conscindant. Interdum simplex illa series duplicatur, imò & triplicatur, sicut de Hercule hoc refert *Cœlius l. 4. c. 13. Valer. Max. l. 1. c. 6.* de Mithridatis Regis filiâ duplici dentium ordine deformi admodum patrem à Pompejo devictum comitante. *Columbus,* Vir rerum anatomicar. peritissimus *in libr. Anat. c. 10.* ait: *Dentes humani ordinem unicum servant, etsi aliquando duplex inveniatur, licet rarò in hominibus; triplex tamen in puero meo Phœbo conspicuus, qui rarus est, quemadmodum & ipse rarus est ordo.* Ad hanc naturæ aberrationem & lusum referri quoq; debet, quando dentes continui sunt, totaq; eorum series ex unico osse constat, ut in *Pyrrho* Epirotarum, & *Ludovic. XIII.* Gall. Rege.

VII. A diverso situ, conformatione, usu aliisq; dentes diversa sunt nacti nomina, ut alii dicantur à situ, officio & tempore eruptionis, primores, incisores, ac gelasini: quod in parte anteriori primo loco positi conspiciantur, cibos statim arripiant & mordendo incidant, inter ridendum deniq; denuden-

dentur; horum octo in qualibet humani generis sc. maxilla quatuor occurrunt, acuti & lati; alii verò à conformationis similitudine, peculiariq; cum aliis partibus assignato consensu, canini & oculares, quoniam canum dentes repræsentant, & cum oculis mediante exili propagine à nervulis illos moventibus ad ipsos dimissâ, consensum quendam habere creduntur, suntq; quatuor in qualibet maxillâ duo, in basi lati & crassi, reliqua parte acuti & rotundi; alii deniq; ab officio molares, quia instar molarum conterunt cibum præscissum, figurâ asperi, magni & lati, communiter 20. utrinq; in quâlibet maxilla 5. quamvis hic numerus etiam variet, ratione præprimis sexûs, ita ut in mulieribus utplurimum in universum 28. dentes numerentur. Ex his duo postremi genuini dicuntur, *Hippocrati* dentes Sapientiæ, *Avicennæ* intellectûs & sensûs, eò quod tum demum erumpant, quando homines sapere incipiunt, circa annum sc. 28. & 30.

IIX. Maxillarum autem solum sunt incolæ, minimè verò iis continui, quod aliquando accidisse observationes comprobant. Radicibus enim suis in anterioribus unâ, in posterioribus, hinc frequentioribus obnoxiis doloribus, pluribus pro ratione firmitudinis, quarum cuilibet peculiaris fovea respondet, per gomphosin eorum alveolis infiguntur, eo nim. modo, quo cunei sive clavi parietibus infixi hærent, ut etiam duriorum ciborum comminutionem sine vacillatione perferre possint. Concurrere tamen majoris roboris gratia quoq; συννεύρωσιν ratione membranarum & vinculorum, quibus mediantibus foveis suis alligantur, & συσσάρκωσιν, si gingivarum carnem spectes, inferiorem dentium partem ambitu suo firmantem, monet *Excell. D.D. Hoffm. jun d. Disp. p. 37.*

IX. Vasa omnis generis per radicum foramina ad illorum cavitatem feruntur. *Arteriæ* sc. quæ calorem nativum communicant, & sanguinem pro nutritione & augmentatione advehunt; dentes enim quum ex masticatione quotidie imminuuntur & atteruntur, uti

Ferreus assiduo consumitur annulus usu,
Interit assidua vomer aduncus humo.

debent etiam continuo rursus augeri & nutriri, ne ad mastican-

dum

dum inutiles reddantur, & ita toti nutritionis operi impedimentum noxaq; per hoc accedat. Quantum ergo atteruntur, tantum rurſus augeſcunt; hoc inde liquet, ſi dens aliquis decidat & non renaſcatur, oppoſitus tanto creſcit longior, quantum ſpatium vacuum eſt prioris dentis, teſte *Barthol. Anat. Libell. IV. c. 12. Venæ*, Sanguinem à nutritione reſiduum, -Ω-tibusq; exhauſtum, ad fontem, ut in cæteris partibus reducentes & revehentes. Quæ vaſa Sanguifera licet in homine non tàm manifeſtè conſpiciantur, ac in bove, eorum tamen præſentiam arguit, cùm dolor pulſatorius, qui aliquando fit in dentibus, quemq; Galenus in ſe ipſo diligentiſſimè obſervavit: tùm largiores in extractionibus dentium hæmorrhagiæ obvenientes, qualem *Hollerius in comm. 2. aph. 18.* & *Platerus* in fabro ferrario obſervârunt. *Rouſſetus l. de homin. princ.* & *Hyſter. affect.* refert, quòd fœminæ cuidam menſes per loculum dentis excuſſi ſæpiùs evacuati fuerint. *Nervi* deniq; etiam ad dentes derivantur, & quidem á quinto pari in maxillâ ſuperiori, à tertio verò in inferiori, qui interiorem eorum cavitatem ſubeuntes, in membranam ibidem expanduntur, atq; fibras hinc inde in illorum ſubſtantiam per poros transmittunt; hinc monialis illa, cujus *Bartholin. Anatom. Libell. IV. c. 12. p. 727.* mentionem facit, cum dentem præ aliis longiſſimum, ad deformitatem vitandam, ſecari curaſſet, convulſa ſtatim & epileptica decidit, ob nervi veſtigium quod in parte dentis abſciſsâ apparebat. Obiter hic loci & illud monendum, dentes præ aliis oſſibus hoc peculiare habere, quod membranula illa reliquorum oſſium ſuperficiem exteriorem cingens & ambiens, tumq; perioſtium dicta, cavitatem illorum interiorem inveſtiat, ne perpetuis obnoxii eſſent moleſtiis, ex aëris occurſu atq; alimentorum contactu metuendis.

X. Sentiunt ergo dentes ope membranæ hujus ac fibrillarum dictarum nervearum, non autem in propria ſubſtantiâ, uti *Galenus* putat *16. de uſu part.* & *5. de Compoſ. medic. ſec. loc. 8.* & ex hoc *Maſſarias l. 1. pract. c. 32.* hinc quoq; illud falſum & veritati minus conſentaneum eſt, quandoquidem *Galen.* ex eoq; *Laurentius* ſenſum illi adeò perfectum ineſſe pronuntiant, ut etiam ope ejusdem cum linguâ ſapores diſtinguant. Hoc ex

eo facile demonstrari potest, quod dentes aliquando per limulam deterere queamus, quod jam olim apud Galenum nonnulli probarunt, & etiamnum recentiores probant, quod secari, æquari, decurtari, candentibus ferris uri, citra doloris sensum possint. Consentit etiam *B. C. Hoffmann. in Institut. l 11. § 12.* exemplum adducens Professor. cujusd. Jenensis, qui à Chirurgo curavit sibi radi diversimodè dentes, ut aptior esset pronuntiandis litteris quibusdam Hebraicis. Sed aliqui hîc dicunt; licet solutionem continui citra molestiam sustinere possint, non tamen similiter aliis injuriis ferendis sunt pares, quippe valdopere ab acidis & austeris, item à frigore & calore excessivo affici solent. Verum nihil aliud hisce probari sciant, quam quod sensus dentium sit à membranâ illâ & fibris nerveis, quando enim tales res dentibus applicantur, facillimè fibrillæ nerveæ in gingivis & maxillis occurrentes, cumq; membranâ & fibris illorum communicantes, afficiuntur & contrahuntur, quam contractionem dein sequitur etiam vicinarum fibrarum & partium astrictio, ut hac ratione stupor & dolor dentium oriatur.

XI. Subjectum igitur Odontalgiæ adæquatum & primarium facio sæpius dictam membranam cavitatem dentium intus succingentem, & fibrillas nerveas, hinc inde per poros in illorum substantiam distributas. Hæ namq; fibræ, dum in toto corpore genuinum Tactûs Organum constituunt, meritò hîc utpote objecti improportionati actione læsæ accusantur; & quoniam illa membrana harum est expansio, quæ sese in ista cavitate extendendo hanc efformant, proinde æq; ac istæ fibræ subjecti nomine vocari potest. In transitu hîc controversiam illam tetigisse è re erit, an sc. membranæ pro adæquato Tactûs Organo agnosci debeant? sed si consideramus, quod uti omnes corporis partes, ita quoq; membranæ sentiant, quatenus fibris nerveis præditæ, ab hisce etenim est, quod istæ præ aliis partibus exquisitiore sensu polleant, quia in majori copiâ, & ab aliarum partium intextu magis liberæ adsunt; istam nos non ferire, aut tanti non esse momenti puto, cùm membranæ fibris minimè opponendæ sint, quin potius illarum textura propter harum præsentiam sensu exquisito gaudeat.

XII. Devolvor jam ad ſcrutinium cauſarum, quarum immediata morbi rationem habens & in definitione expreſſa, conſiſtit in hujus membranæ fibrillarumq; nervearum forti & vehementi agitatione, divulſione, compreſſione & laceratione, ſive uno verbo continui, ut loqui amant, ſolutione fiente. Etſi enim Ingenioſiſſimus *Carteſius* fibras nerveas in omni dolore & per conſequens etiam in Odontalgia, actu rumpi exiſtimat à quolibet objecto eum producente, ejus tamen de hoc ſententiam invertunt diuturniores Odontalgiæ, quæ aliquando nominatas partes plures ſeptimanas crudeliter affligunt, hiſce omnes fibras breviori temporis ſpatio lacerare valentibus, quibus laceratis dolor quoq; ceſſat, is namq; non premit, dum unitas eſt ſoluta, ſed dum ſolvitur, teſte *Heurn. 3. Meth. ad pr. c. 13* Confirmat hoc *Galenus* 1. *Sympt. cauſ. c. 6.* ubi qualitates tactiles, cùm disrumpendi corporis periculum adferunt, dolorem inducere, eleganter oſtendit.

XIII. Cauſam immediatam ſequitur mediata proxima, priorem tanquam morbum proximè producens, eſtq; nihil aliud quam objectum incongruum nervoſas partes in & circa dentes p. n. afficiens, hoc autem cum ſit varium, varia etiam cauſa illa proxima ſtatuenda, ſæpiſſimè tamen ſerum nunc magis nunc minus acre hic accuſandum venit, quod particulis conſtans rigidis & acutis ſenſiles iſtas partes pungit, rodit ac vellicat, & ſi hæc actio ob contumacem ejus præſentiam diutius durat, ab invicem divellit, easq; una cum dentium oſſea compage corrodit, ut hoc modo excavati fruſtulatim tandem excidant. Non alia autem ratione, quanquam inferiori & minori gradu, illud agere arbitror, ac Ω-tus iſti acidi & corroſivi ⊕l. ſcilicet Sulphuris &c. horum enim ſi quis guttulam unam vel alteram cuti affundat, intenſiſſimum dolorem inferri videbit, partes ſenſiles vellicando ac exedendo. *Siq; Ol. ſ. Ω ⊕li vel Sulphuris denti carioſo imponatur, dens ad ſui usq; radicem eroditur, Ω-tus enim iſti admodùm penetrant. Fabrit. Hildan. cent. 4. obſ. 95.* Acidam ergo utplurimùm acrimoniam eſſe, dicta corroſio demonſtrat, id quod & in carie oſſium, ubi etiam acidum acre peccat, à poſteriori videmus, argumento ab ejus curatione deſumpto, conducunt nimirum ibi uti & hic talia remedia, quæ acidi acrimoni-

moniam infringunt, eiq; ⊖li contraria, ut ⊖lia alcalia fixa & volatilia, Ol. ℘lata &c. notante *Cl. Sylv. Prax. Med. Append. Tract. 3. §. 374.* Dolor item rodens & lancinans, qualem quoq; in ulceribus obſervare licet, quæ liquorem ſeroſum odoris apertiſſimè acidi inſtar ſubtilis cujusdam & penetrantis aceti aliquando fundunt, teſtante *Celeberr. & Beat. D.D. Ettmull. Med. Hippocr. Chym. c. 2, §. 3.* qui *in Colleg. MSto Chirurg. c. de Ulcerib.* idem affirmat, dicens quod Emplaſtra ulceribus impoſita, ubi rurſus detrahuntur, talem odorem naribus exhibeant. Accedit & hoc, quod acida & auſtera ore detenta dentium dolorem & cariem adaugeant, hinc tales cibi præprimis fructus immaturi & auſteri eorum hoſtes putantur, quatenus ſc. acido iſti corroſivo dolorem dentium inferenti eosq; corrodenti ſuppetias ferunt. Idem etiam dicendum de ſaccharo & melle aliisq; dulcibus, quæ illis valde inimica deprehenduntur. *Nihil enim æquè dentes offendit uti ſaccharum, & quæcunq; dulcia ſunt, cùm & eosdem corrumpant,* veriſſimè dixit *Foreſt. obſerv. 3. l. 14.* Hâc de causâ ficus imprudenter ab avarâ quâdam muliere adhibitos dentium dolorem magis auxiſſe, rectè conjectat idem *Foreſt.* Mirum alicui hic poſſet videri, cur dulcia dentibus noxia exiſtant, cùm tamen acidis contraria ſint? verum ſciendum ab hiſce non niſi modo ſubſtantiæ differre, & quatenus particulæ Sulphureæ ⊖linis certo modo proportionatæ & permixtæ ſunt, ex ſaccharo enim & melle mediante △e copioſum & acidiſſimum Spiritum, Corallia aliaq; ſolventem calculumq; atterentem, elicere posſumus, dum △is particulas eorum ⊖linas atterit & in fluorem evehit, ſicq; inſtar gladiolorum exacuatas in liquorem acidum convertit. Tali acrimoniæ acidæ Odontalgia in Subjectis dictis melancholicis ſive hypochondriacis, ſcorbuticis & lue ♀ea correptis ſuam originem debet, quia in hiſce acidum peccare, ne dicam certum, probabile eſt. Non raro etiam acrimoniam ⊖ſam accuſandam ſtatuimus, præprimis in catarrhoſis affectibus obnoxiis, aliisq; ſerum ⊖ſum habentibus obviam.

XIV. Serum hoc dentium arteriolæ cum ſanguine advehunt, quando enim in hujus maſsâ peccat ſive abundat, ad totam corporis peripheriam diſtribuitur; quia autem partes nervoſæ in & circa dentes admodum ſenſiles & ſubtiles, deq; causâ

ali-

aliquâ prægressâ dispositæ sunt, ut huic affluxui non resistere possint, facillimè ab isto sero occupantur & læduntur, quodq; dein extravasatum plerumq; tumorem infert, si scilicet disjunctione refractum forás vergit, ita me docente *Viro Nobiliss. Ampliss. Excell. atq; Experientiss.* DN. JAC. PANCRAT. BRUNONE, *Phil. & Med. D. Theor. & Prax. Prof. Publ. longè Celeberrimo, Magnif. p. t. Universitat. Rectore, Patrono, Præceptore studiorumq; meorum Promotore omni honoris & observantiæ cultu jugiter prosequendo in Colleg. MSto Practic.* Quem tamen tumorem sæpè quoq; à lymphâ stagnante hoc modo oriri existimamus; nimirum dolorem dentium vicinarum partium & fibrarum nervearum crispationes & leves contractiones per consensum continuitatis insequuntur, unde quousq; hæc crispatio dolorosa continuatur, iste dolor se extendere videtur, & dum ab istâ fibrillarum contractione angustantur poruli & meatus, per quos humores meando circulantur, nunc lympha in motu impedita stagnat, unde dolorem istum supervenit tandem tumor serosus aut œdematosus. Et hic dolor causæ frigidæ ut vocant, vulgò adscribitur, german. dicunt: Es ist ein kalter Fluß: Nunc sanguis & tunc fit tumor sanguineus. Interdum etiam hic per causam extraneam effervescens & calidior redditus, dum cum impetu ad dentes prædispositos partesq; adjacentes ruit, ità ut venæ ei revehendo non sint pares, extravasatur ac in parte angusta hæret, & quia insuper ejus influxus validus & continuus est, fit ut necessariò sanguinis portio hærens coacervetur, coacervatus det tumorem sanguineum, qui inflammatio dicitur, vehementissimi doloris ardentis & pulsatorii causa, quia sanguis influens repercussionem patitur, à cujus impetu fit pulsationis sensus, & quando pars distenta & tumefacta non cedit, ob id percipitur renisus ad tactum. Qui ab hac oritur, vocatur dolor à causa calidâ, ein hitziger Fluß.

XV. Verùm non semper dictum serum dentibus per arterias communicatur, sed aliquando è capite per peculiarem meatum in cavitatem sive cavernulam stillat, quæ in maxillâ superiori utrinq; una invenitur, *à Clar. Higmor. Diquisit. Anatom. p. 227.* ita descripta: *Cavernula in maxilla superiori magna est, sive antrum utrinq; unum, sub oculi sede inferiori; ubi os ad oculi tutelam*

quodammodo protuberat, ad latera inferiora nasi situm: insigniter cavum, sphæricum, aliquantulum verò oblongum, & ita amplum ut articulus pollicis majoris pedis ultimus in illa delitescat: Osse attenuato, sive squammâ osseâ obtegitur: Os enim quod illud includit, & quod á dentium alveolis extremis distinguit, crassitie chartam emporeticam non multum excedit: in basi hujus protuberantes quædam eminentiæ cernuntur, quibus dentium apices tenuiores includuntur. Dentium alveoli margini hujus ossis inferiori insculpuntur, quibus dentes infiguntur: antrum hoc frequentius vacuum, aliquando muco repletum reperitur, in quod humores à capite per meatum quendam à cavitate illa in osse frontis & ab osse ethmoide destillare poterunt. Jam si mucus ille aliquamdiu ibidem subsistit, facilè acrimoniæ obnoxius redditur, quia stagnando fermentescit & putrescit, quo motu fermentativo particulæ ⊖linæ magis & magis diffractæ majorem acutiem & acrimoniam acquirunt, ut squammam illam osseam corrodere & exedere valeant, qua dein corrosa materia acris in dentium alveolos illabitur, eosq; etiam corrodendo intensissimos dolores infert. Confirmat dicta egregia observatio ejusdem *Highmori l. cit.* & *à Bonett. Anatom. Pract. lib. 1. Sect. XXI. observat. 21.* notata, quæ cum rara sit, operæ pretium erit, eam hic inserere: *Silentio*, ait, *præterire non possumus, quod generosæ cuidam fœminæ sub nostrâ curâ laboranti accidit. Cum subferina, eaq; continua ⊖si humoris destillatione per multos retro annos laborasset, omnesq; penè dentes corrosos ac cariosos avulserat, nec tamen à dolore liberata, tandem dente sinistri lateris effosso, simul squammosa illa distinctio inter cavitatem hanc & dentis foveam eripitur, adeo ut humorum per alveolum dicti dentis ab antro illo perennis successerit destillatio. Qua multum perterrita, stylo argenteo in alveolum immisso originem fontis hujus exploratura, usq; ad oculum per tunicas penè duas sursum adegit: magis adhuc metuens, pennam minorem plumis decerptis totam pene ad longitudinem palmæ unius immisit. Jam maximè consternata, ad cerebrum usq; decurrrere existimans me consuluit &c.*

XVI. Causa proxima doloris porrò in & circa partem affectam etiam generatur, ex vitiosa nimirum dentium nutritione sive alimenti eorum proximi corruptione. Istud autem corrumpitur, quando in dentibus eorumq; partibus nervosis jam-

dum

dum adeſt fermentum quoddam acre & peregrinum; quod alimentum adveniens, multifariam alterat, id partim in humorem ſibi ſimilem, partim in pus, ſaniem & ichores, mediante & intercedente motu fermentativo transmutando, quod in ulceribus depaſcentibus etiam animdvertimus, fermento eorum acido in labiis continuò ſe ulterius multiplicante & ſerpente. Hinc non mirum, quod fiſtulæ nonnunquam in dentibus oriantur, è quibus humor corruptus & ſanies vel in os exſtillat cum fœtore, cujus rei exempla duo habet *Foreſt.lib.14.obſerv.2.* vel per dentium radices & maxillæ illa foramina, per quæ vaſa in eas ſubeunt, extra effluit, & tubercula in mala vel mento excitat, quæ nullo modo curantur, niſi dens extrahatur. Etſi enim rumpatur illud tuberculum & pus collectum effluat ac tuberculum inde ſubſideat, probeq; curatum videatur: tamen poſt aliquod temporis intervallum ex ſanie è dente carioſo ad eundem locum affluente aliud tuberculum excitatur, iterumq; rumpitur & pus effundit, idq; toties accidit, donec dens carioſus extractus ſit. Eo enim exempto, tuberculum ſponte evaneſcit. *Sennert. Medic. Pract. lib. 2. Part. 1. c. 10.* Vermes quoq; vehementiſſimi interdum doloris rodentis cauſa, ab alimento iſto corrupto generantur, qui nunc unum nunc plures dentes infeſtant, prout videlicet majores vel minores fuerint. *Salmuthus cent. III. obſerv. 32.* meminit hiſtoriæ Odontalgiæ à verme ſesqui articulum longo excitatæ. Obſervatum etiam eſt quod minutorum & tenuius filum craſſitiè æquantium, univerſosq; ferè dentes vexantium, ingentem multitudinem hyoſciami fumus aliquoties provocaverit in matronâ cachecticâ, *Cl. Vogler.* amico cuidam referente.

XVII. Ordine ità jubente pergo jam ad conſiderationem cauſarum antecedentium, quæ duplicis generis deprehenduntur, vel enim in partibus contentis ſive humoribus, vel continentibus aut fibris & membrana dentium, tanquam parte affectâ fundantur. Priores pro diverſitate cauſarum proximarum diverſæ exiſtunt, ab hiſce namq; non differunt niſi loco, cum ſc. extra partem affectam in corpore deliteſcentes ante morbi generationem à remotis excitatæ illas conſtituant. Imprimis harum rationem habet, acrimonia in toto corpore exceſſiva &

pec-

peccans, lympha & ferum acidum & ⊖ſum, ſuccus pancreaticus nimis acidus vel auſterus, hinc conſtitutio melancholica, ſcorbutica, ſeroſa, lues ♀ ea, ulcerum & abſceſſuum in particularibus membris acor peregrinus & vitioſus, ex corruptione alimenti proximi, qui ſanguini communicatus inter cauſas haſce numerari debet. Poſterior cauſa dici meretur mala illa fibrarum & meatuum minimorum in membranis illis dentium interioribus occurrentium, per proximam iteratò redeuntem inducta diſpoſitio, dum vel fibræ laxiores redduntur, vel occulti illi pori turbantur, ut propterea materia nova affluens facilius ſubſiſtat, & ita continens vel proxima evadat; quemadmodum talis organica mala conſtitutio in aliis quoq; ſimilibus rhevmaticis affectibus, v. gr. ad articulos, ad glandulas, &c. obſervari facilè poterit. Nec obſtat, quod potius talis vitioſa partium ſolidarum & hoc in caſu fibrarum & meatuum occultorum diſpoſitio ad ſubjectum pertinere videatur, ſiquidem diverſus conſiderandi modus hoc diſcrimen ſuppeditat, quod licet in Odontalgiâ factâ fibræ interioris membranulæ ſubjectum conſtituant; in fiente earundem fibrarum & membranæ diſpoſitio latens vitioſa, cauſæ antecedentis vices gerere nihilominus poſſit.

XIIX. Cauſarum externarum vel procatarcticarum enumerationem prolixam annectere ſupervacaneum arbitror, cùm multæ quâ nonnaturales, quâ præternaturales jam incidenter ad cauſam proximam adductæ ſint, & paſſim apud Practicos earum fiat mentio, inter quos inſignem catalogum harum cauſarum, quamvis minus eleganti ordine, tradidit *Valeſ. de Tarant. Philon. Pharmac. l. 2. c. 64.* ſtatim in principio. Brevibus ergo res nonnaturales ſaltem percurram, inter quæ primò obvenit aër impensè calidus, fluxiones concitans, & ſummè frigidus, poros corporis conſtipans, ut tranſpirationi & ſudori nullus pateat exitus. Aſſumpta iisdem qualtitatibus peccantia, ⊖ ita itidem & fumo indurata. Motus vehementior ſæpiſſimè affectus hujus mater exiſtit; Symbolum ſuum huc etiam confert quies nimia, dum pituitæ acidæ uberiori proventui favet. Vigiliæ immoderatæ ♌tus abſumentes, & ita ſerum viſcidum & acidum reddentes. Excernenda retenta, & retinenda excreta, priora conſpicua

cua ſunt in diaphoreſi læſa aliisq;. poſteriora in nimiis humorum utilium evacuationibus, ut inutiles dominium acquirant, & ſui juris evadant. Animi deniq; pathemata agmen claudunt, quorum præcipuam conſiderationem meretur ira, quatenus ſanguinis motum circularem valdè turbat, reliquosq; humores variè commovet & ad impetuoſos motus incitat. Cauſis hiſce externis annumerari etiam poſſunt contuſiones, vulnerationes, ictus, caſus, contritio duriorum corporum &c. dum nimirum dentium fibras & membranam lædendo, debilitando, earumq; diſpoſitionem naturalem perturbando humorum affluxui januam pandunt.

XIX. Ad Signa hujus affectus properamus. Quia autem Diagnoſtica ex ægri ſatis canori & ſonori querela per ſe patent, ſaltem in ſigna cauſarum diſtinctiva, utpote quibus Medicus ne fallatur & ſpe decipiatur in curatione, maximè opus habet, paucis inquiramus. Cognoſcitur varietas illa cauſarum ex aliis attributis & concurrentibus ſymptomatibus: ita ſi caries, fœtor & nigredo concurrerit, in culpa erit utplurimum acor vitioſus, humorq; acris affluens, dolorem rodentem & pungentem ſimulq; ſymptomata hæc producens. Odontalgia cum vacillatione & alvi fluxu, dependet à nimio affluxu ſeri acris in toto corpore tunc peccantis, quod dentium membranas & vincula illos foveis ſuis alligantia nimium relaxat, ac diſtendit, quibus ita relaxatis illorum vacillatio oriatur neceſſe eſt; alvi fluxus autem indicat abundantiam hujus ſeri, quod ad inteſtina quoq; effuſum, eorum fibras ad ſui excretionem ſtimulat. Quando eſt à causâ calidâ, ſanguine ſc. acri & turgeſcente, inflammationem & tumorem ſanguineum conjunctum habens, vehementior erit, ardens & pulſatorius, contraria juvant, caliditatis ſenſus in parte percipitur, & aliqualis dolor in glandulis parotidibus, quod aliquoties obſervavi in juvene plethorico, qui quoties paroxyſmus ingrueret, ſæpe autem ingruebat, ita ut interdum vix 14. dies ab iſto immunis viveret, de dolore pone aures conquerebatur, & ex eo ſtatim prædicentem, malum imminere, eventus nunquam fefellit; dolorem hunc plerunq; antecedit intemperies totius corporis calida ſive temperamentum calidius. Frigidam verò cauſam i. e. ſerum ſive lympham minus acrem

manifeſtant tumor ſubſequens œdematoſus & ſeroſus, aliquando diutius hærens, imprimis ſi æger ſeſe non contineat in calido loco, ſed aut totum corpus, aut ſaltem faciem frigori exponat, quod partes continentes conſtringit, ut materiæ contentæ egreſſus denegetur. Dolor dentium ſcorbuticus, malo hypochondriaco & lui ♀eæ ſuperveniens, ex eorum affectuum ſignis & ſymptomatibus cognoſci debet, utplurimum quoq; in ſcorbuto ſimul adeſt exulceratio gingivarum, & ſalivatio frequens ac copioſa. A vermibus inductam patefacit dolor rodens pruriginoſus, interpolatus, exiguis intervallis deſinens ac repetens, motus etiam vermis aliquando in parte percipitur, teſte *Riverio Prax. Med. l.6.p.256.*

XX. Quoad Prognoſin in genere ſciendum, quòd dentium dolor per ſe nullum habeat periculum, contumacior verò & diuturnior convulſiones, vigilias & ſimilia prava ſymptomata inferat. Pro conditione ægrorum & cauſæ morbificæ, judicium etiam variandum, ſic odontalgia in ſcorbuticis & lue ♀ea laborantibus contumacior & difficilis curatu habenda, licet enim aliquando curetur, ſubinde tamen recurrere ſolet, idq; tam diu donec morbus primarius ſit ſublatus. Idem de illâ, quæ eſt à vermibus, pronunciandum. In vehementi dentis dolore, ſi nullo prius affectionis veſtigio in gingivis apparente, tumor jam in iisdem aut in malis oboriatur, bonum eſt: ſignificat enim vel derivationem materiæ ab interna dentis cavitate ad externa, ſive naturæ robore id fiat, ſive virtute medicamenti; vel materiæ affluentis & dolorem inducentis affluxum impeditum, & extra partem affectam ſtagnationem. Doloris remittentis ſignum quoq; eſt, quando extrà radicem dentis in gingivis pus colligitur, quod cum effluit, dolor ſtatim remittit. Hoc interdum dolore ceſſante in auribus accidit, *Hippocr. 4. Epid. ſect. ult.* teſtante.

XXI. Ultimo loco ſeſe offert curatio, & quidem extraordinaria palliativa dicta, propter dolorem vel potius cauſam morbificam continentem vehementius urgentem, & dentium nervoſas partes vario modo lædentem. Perficitur autem ſi humor in culpa fuerit, vel hujus remotione, diſcuſſione, repulſione, derivatione, obtuſione & demulcendo infractione, vel

ſen-

sensus partium illarum stupefactione & ligatione; si verò vermes, horum enecatione, & deniq; dentis evulsione.

XXII. Cum autem inter omnia symptomata dolore nihil molestius, & medicamentis hos sistentibus & mitigantibus ægrotis nihil gratius sit effato ***Excell. D.D. Wedel. Præceptoris quondam mei honoratissimi, de Med. Facult. l. 2. sect. 2. c. 10.*** videbimus quoq; remedia specialioribus istis indicationibus satisfacientia. Primò occurrunt discutientia, dissipantia, masticatoria, anodyna & narcotica, qualia sunt hyssopus, calamintha, origanum creticum, pulegium, majorana, serpillum, cubebæ, Zingiber, sem. staphisagr. rad. pyrethr. urtic. thus, mastix, lign. sanct. bux. nicotiana. piper, caryophill. allium, salv. rosmarin. &c. Et ex his aliisq; varia præparata, usitatissimè autem Decocta, in ore tenenda & subinde instar gargarismatum usurpanda, v. gr. ℞. Rad. pyrethr. ʒij. sarsaparill. ℥iij. rasur. lign. Guajac. ℥ß. pini ʒiij. flor. ros. rubr. serpill. origan. ana p. 1, gran. junip. ℥ß. sem. carv. ℥iij. Incis & contus. coq. in ▽ & vini Rhenan. ℥xij. ad tertias. Colentur. Colaturæ recip. ℥vj. in quibus dissolv. camph. gr. v. Misc. Vel ℞. Lign. sanct. gallar. ana ℥ß. rad. pyrethr. ʒiij. Rorismar. mj. Ebull. in Vini & ▽æ ana q. s. Colaturæ add. S. vin. ℥ß. F. Gargarizatio. Decoctum sabinæ cum decocto baccar. juniper. in dolore dentium commendatur *à Brendelio.* Quemadmodum & *à Th. Mermann.* Decoct. rasur. Lign. Gvajac. & C.C. cum ▽ & vino, paratum *l. 1. consult. 34. & 35.* confirmante hoc etiam suo calculo *Magnif.* DN. D. BRUNONE. Decocta hæc parantur partim cum aceto solo, si gingivæ non fuerint inflammatæ, & materia tenuior acris intra cavitatem dentis hæreat; vel cum vino, si à causa frigida fuerit & tumor œdematosus concurrerit; vel cum vino & ▽ mixtis pro diversitate naturarum & causæ morbificæ varietate. Camphora singulariter convenit, tantillum nimirum intrudatur denti, vel solutio in Sp. vini denti dolenti applicetur, quod & præstat in aceto aut Ol. amygd. dulc. soluta. Deinde Ol. ♌lata imprimis hîc commendantur, cùm enim sint ⊖lia volatilia concentrata, mirum in modum acidum infringendo & causam profligando dolorem leniunt: hæc inter præcipuum est Ol. orig. cretic. & Ol. Caryophhyll. huic si tantillum camphor. additur, præstantius

 red.

redditur. *Rulandus* Ol. ſuum Heraclinum expertum habet. Ol. bux. rorismarin. ſalv juniper. Succin. magnæ etiam ſunt efficaciæ. Huc quoq; pertinet Balſam. Odontalgic. *D D. Michaëlis*. Porro eſſentiæ & Tincturæ quædam vegetabiles miræ ſunt commendationis, ut Eſſ. Thym. ſatureiæ &c. quibus cum bombace in dentem immiſſis dolor ſiſtitur, vel ſi gingivæ eis fricantur. Omnibus his palmam præripit Eſſ. lign. Guajac. c. Sp vin. & Tinctura Odontalgica *Excell D.D Wedelii*. Anodyna & narcotica ſequentia commendari poſſunt. ut Tinctura anodyn. *D. Wedel.* Decoct. anodynum è ſpeciebus odontalgicis *Magnif.* DN. D. BRUNON. cum lacte paratum. Sotirella parva in Diſpenſatoriis deſcripta cum goſſypio excavatis dentibus indita. Decoctum rad. hyoſc. vel ramenta ejus radicis ſupra dentem dolentem adhibita. Loco hujus commodè uſurpari poteſt nicotiana, unde ejus Decoctum & flor. cham. remedium fuit Heurnii. Hujus fumus per tubulum attractus ſuo etiam non caret uſu, ut tamen alibi ita & hîc circumſtantiæ benè ſunt conſiderandæ, non enim omnibus indiſcriminatim prodeſt, ut experientia teſtatur. Inter narcotica non poſtremum locum poſſidet pilul. ex Lad. Opiat. quæ ipſa denti appoſita vel intruſa ſubitò dolorem ſopit. Sulphur. ☉tum ℥ ij cum bombace denti applicatum citò medetur dolori.

XXIII. In dolore dentium ſcorbuticorum & malo hypochondriaco laborantiũ vulgaribus Odontalgicis ſemper appropriata antiſcorbutica miſcenda, inter quæ vel ſola ſufficit cochlearia, vel in hujus penuria naſturtium ▽ticum vel Indicum, decoctione exinde parata cum ſalv. roremar. roſis ac plantagine, pro oris collutione ſæpius uſurpanda, non neglectis tamen iis, quæ principalem ſcorbuti cauſam reſpiciunt, eamq; auferre valent. Sic dolor qui in morbo gallico obvenit, appropriatum non habet remedium, quàm quod malignum acorem evincere valet, quo in genere Decoctum Guajaci ejusq; Eſſ. optimum & præſtantiſſimum eſt remedium, vel etiam in ſumma acerbitate Theriaca ſive aliud narcoticum dentibus illini & intrudi debet, oreq́; poſtea decocto illo probè eloto, ſæpiusq; ſic repetito, donec reliquum quoq; corpus à labis iſtius fomite & causâ malignâ vindicetur & liberetur.

XXIV. Quando materia adhûc est in fluxu sive in principio, adhibeantur repellentia & adstringentia, huic scopo inserviunt gargarismi & collutiones oris adstringentes ex flor. rosf. rubr. rad. oxylapath. filic. tormentill. bistort. fol plantag. gall. &c. Ex quibus pro lubitu variæ concinnari possunt formulæ, ex gr. ℞. fol. querc. plantag. ana Mj heder arbor. Mß. rad. tormentill. ℥ij. urtic ℥iij coq. in vini Rhenan. q. s. ad tertias. Col. vel ℞. Rad. bistort. pentaph. tormentill. ana ℥j. fol. verben. plantag. ana Mj. nucum cupress. gallar. & calicum glandium ana ℥ij. Santal rubr & crystallor. ana ℥iß. ros. rubr. balaust. ana pj. F. decoct. in vino styptico & aceto, quo abluatur pars dolens tepidè & frequenter. Hæc & similia usurpari poterunt in fluxione calidâ & acriori; in frigidâ verò addantur dissipantia & calida ex §. *XXII.* huc transferenda. In omnium autem remediorum applicatione opus est prudentiâ & præmissâ accuratâ consideratione & collatione causæ morbificæ & remediorum virtutis, ut & aliarum circumstantiarum. Errant enim qui in principio & fine iisdem remediis, item in affluxu causæ calidæ & frigidæ utuntur, judice quondam *Scherbio*, ex communicatione DN. D. BRUNONIS. Qui error etiam hodieq; frequentius observatur, quò rarius ægri Odontalgiâ laborantes Medici consilium implorant, sed á mulierculis, agyrtis & cujusvis sortis hominibus remedia expetunt. Revulsionis & derivationis causâ adhibentur V. S. Sanguisugæ, Scarificationes, Ventosæ, Frictiones, Vesicatoria, Caustica & Clysteres; hos ad miraculum profuisse in Illustri Puerperâ lochiorum suppressione succumbente, expertus est Vir *Nobilifs. Amplifs Excellentifs. atq; Experientifs.* DN. MAURICIUS HOFFMANN. *Med. D. & Prof. Primarius longè celeberrimus, Facultat. Med. p.t.* DECANUS *Spectatissimus, Potentifs. Elector. & Serenifs. March. Brandenburg. ut & Reipubl. Normberg. Archiater Felicissimus, Dn. Præceptor, Patronus ac Promotor meus æternùm devenerandus*, in hâc enim gravissimo dolore dentium vexatâ, vix injectum fuit Clysma, ac dolor omnis evanuit. Cum præsentissimo etiam juvamine allium cum ⊕ro ad olecranum adhiberi jam nominatus DN. DECANUS mihi retulit.

XXV. Restat adhuc vermiculorum enecatio & dentis evulsio. In priori conducunt medicamenta sequentia: ℞. Aloës ℥j.

Camphor. ℈ß. ▽ vit ʒß. M. & dentib. cum bombace admoveantur. Suffitus ex ſem. hyoſc. & cerâ dentibus recept. Loco hujus etiam fieri poteſt ex fructibus halicacab. contuſ. cum cerâ paſta, quæ injecta in laminam ferream ignitam ut fumus excipiatur, catervatim ejicit vermes. Decoctum radic. vel cortic. fraxini & graminis vermes quoq; enecat.

XXVI. Dentis evulſionem quod attinet, concedi equidem debet, quod non ſit vera Odontalgiæ cura, nihilominus tamen admitti poteſt, quia in dente eroſo adhuc hæret fermentum corroſivum, quod in cauſa, ut dolor fiat recidivus, ſic etiam poſt evulſionem emanare ſolet liquor limpidus, qui reliquias iſtius fermenti ſimul abſtergit, & ita ne recrudeſcat, præcavet. Deniq; obſervatum fuit, quod Odontalgia propter cariem ſæpius recurrens evulſo dente fuerit curata, ut autem evulſio faciletur, quædam applicanda, quæ dentium caſum promovent. Sic ℞. Gumm. ammoniac. ſem. hyoſc. & ejusd. ſucc. ana ʒjß. cum pinguedine ranarum virid. & ceræ parum F. Ungt. Hoc denti illitum, ejus extractionem juvat. Lac tithymali cum farina triticea ſubactum dat paſtam, quæ in pinguedine ranæ frixa denti evellendo applicata promovet ejusdem caſum. Cautelas circa evulſionem obſervandas vid *in River. Prax. Med. l. 6. c. 1.*

XXVII. Annectenda nunc etiam eſſet curatio ordinaria, quâ cauſis antecedentibus & remotis, ſecundum methodum medendi & Indicationes ejus per contraria reſiſteretur, materiæ futuræ proventum impediendo, imminentis affluxum ulteriorem intercipiendo & diſtrahendo per evacuantia diverſa, purgantia, ſudorifera, diuretica, ut & alterantia; Enimverò cum hoc & limites inſtituti mei excedat, neq; brevitas temporis admittat, & ex aliorum affectuum rheumaticorum curatione à Practicis celeberrimis prolixè traditâ haberi poſſit, labore illo hac vice lubens ſuperſedeo.

Sit ergo

I. N. J.

FINIS.

I.

EHINGERE dolor qui dentes afficit acer,
Et gemitum afflictis exprimit ac lacrymas;
TE vocat in cathedram, & doctè vult esse loquacem,
Vsus qvò pateat dentibus ingenitus:
Illum igitur jam propugna, absq; dolore, dolorem,
Præmia doctrinæ mox capies merita!

Ita
Nobil. & Clar. DN. DOCTORANDO,
Amico suo honoratißimo, &
per triennium Auditori summè
industrio, vovet, atq; de
felici studiorum Medicorum
catastrophe gratulatur,
JOH. MAVRIC. HOFFMANN. Phil. & Med. D.
Anat. & Chem. Prof. Publ.

II.

VJel Glück/ Du wehrter Freund/ Glück zu zun neuen Ehren/
die dein belobter Fleiß/ vor längsten angericht/
Nun soll dein Ruhm sich auch/ durch dieses Pfand vermehren
daß Dir zu jederzeit/ noch mehrer's Glück verspricht/
So wird Dein Fleiß belohnt/ der niemals laß gewesen/
weil Jhn der Musen-Schaar/ mit ihrem Lob ausziert/
Es wird dein Ruhm und Ehr/ nun allezeit gelesen/
so bald der Fleiß noch mehr zu dieser Würde führt.
Drum fordert meine Pflicht/ der treuen Freundschafft wegen/
und was die Schuldigkeit/ sonst abzufordern pflegt/
Den wolgemeinten Wunsch/ hiebey mit abzulegen/
der sich zu dieser Zeit/ in meiner Brust erregt/
Dein Glück blüh' fort und fort/ und müsse stets sich mehren/
daß nichts als Wolergeh'n um deiner Seiten sey/
GOtt wolle allen Haß und andern Zufall stören/
so bleibt dein hoher Ruhm vor allem unfall frey.

Mit diesem wenigen solte und wolte dem Hrn. Doctorando
als seinem hochgeschätzten Freund schuldigst aufwarten/
dessen zu jederzeit verbundener
Joh. Barthol. Cramer/ Med. Ddus.

III.

GLoria Virtutis digno TIBI *parta labore*
Digna dabit porrò præmia DOCTOR *eris.*

Ita
De exantlatis feliciter laboribus atq; Promeritis exinde honoribus *Nobiliss. Dn. Doctorando* Conterraneo & amico suo svavissimo animitus gratulari voluit

JOH. PHILIPP. HAMMAN.

IV.

TEmpus edax rerum dentes infigere scriptis
EHINGERE tuis (gratulor) haud poterit.

Exiguo hoc magni amoris indicio Nobiliss. DN. DOCTORANDO *Amico & Sympatriotæ semper gratissimo de egregio hoc eruditionis exemplo & consequendis honoribus Doctoralibus gratulatur*

JEREMIAS SEIZ.

V.

PRoh! humiles animas, nec vitæ munere dignas,
Queis nunquam vires explicuisse placet.
Quantô Tu melius, Fautor charissime, cunctis
ingenii ostendis munera pulchra Tui.
Hinc nitidam meritò Tibi spondet Apollo coronam,
Quæ Tua mox cinget tempora. Prosit honor.

Paucis hisce *Clarissimo* DN. DOCTORANDO Fautori Amico ac contubernali suo æstumatissimo de novis honoribus gratulari, omniaq; prospera apprecari voluit debuit

MATTHÆUS CHRISTOPHORUS Schorer/
Memmingâ-Suevus.